





PROGRAMMA  
FESTO PENTECOSTES

IN ACADEMIA IVLIA

ANNO MDCCXVIII

P. P.

---

HELMSTADII  
LITTERIS HAMMIANIS.

8.  
20

Böhmer  
en general  
ind vel fa doc  
Böhmeri sein  
frift, quidam  
pro uno, sed  
no uno pag.  
lin 2. ac vi  
non in sin 2.  
pro 2do lin.  
celesti mil  
Alain 8. in  
coelesti



FESTO PENTECOSTES

Handwritten text in a Gothic script, likely a liturgical or devotional text, written in dark ink on the left side of the page. The text is arranged in several lines and appears to be a fragment of a larger work.



PRORECTOR ACADEMIAE IVLIAE  
IVSTVS CHRISTOPHORVS BÖHMER, D.  
THEOL. ET ELOQV. PROF. ORDIN.

LITTERATIS CIVIBVS S. D.

**F**ESTVM denuo agimus, cultui **SPIRITVS SANCTE**, veri illius cum **PATRE**, et **FILIO**, ac vnus **DEI**, a multis retro sæculis sigillatim dedicatum: redeuntque, cælesti munere, dies, eo sanctiores nobis merito, eo religiosiori transmittendi ritu, quo semper habiti sunt venerabiliores. Fides hodie constitit iis, quæ sanctissimus Seruator noster, humani generis bono, petulantium Iudæorum libidini expositus, et, ne quid nequitiae deesset, ignominiosæ cruci adfixus, necque datus, sepultus, sed tertio die, victa morte, ac triumphata, vitæ redditus, discipulis suis promiserat: fore, vt post suum in cælos reditum, virtute ex alto induti, \* luculentissima Spiritus sancti dona adfatim acciperent, antequam ablegandi essent in vniuersum orbem, salutis viam gentibus, quæ vanis religionibus, et idolorum cultu tenebantur implicitæ, ostensuri. Equidem multa eos docuerat ante de sua ad patrem itione, de morte, regressu in vitam, de regno suo: sed, quæ est humanarum mentium imbecillitas, nondum ea fatis adsecuti erant apostoli, nec adsequi poterant. Cetera igitur, quæ de tantis mysteriis dici potuissent, solidiorumque consequerentur rerum sublimium, atque omnem ingenii vim, et aciem excedentium notitiam, in cælestes subito homines transmutandi.

Abunde hoc factum est, cumulateque, **PENTECOSTES** die, qui vnus e sollemnioribus, Iudæos tam e vicinis, quam

A 2

remo-

\* Luc. XXIII, 49.

remotioribus prouinciis Hierosolymam, in idoneum hoc miraculi, ab omnibus retro sæculis inauditi, atque inuisi theatrum attraxerat; ne, ex vlla terrarum orbis parte, tantæ rei testes deessent, et potentia diuina quam plurimis innotesceret. Congregati erant apostoli in vna domo, precibus vacantes, eaque suffulti spe, quam magister optimus fecerat. Largissime ille tum, visibilique modo effudit in eos, nascentis ecclesiæ primitias, Spiritus sancti gratiam; cuius donis roborati, firmatique, doctrinam de Christo in crucem acto, et gloriose e mortuis resuscitato, rem cetera abiectam, sapientioribus sæculi spretam, Iudæis offensionem, gentibus ridendi materiam, fidentissime deinceps prædicarunt: quin et sanguine suo, magna animi præsentia fuso, diuina veritati, a se adnuntiata, perhibuerunt testimonium. Sicut vero alias diuina benignitas, ita etiam hic, ad captum hominum se demittere, eaque interuenire voluit, quæ in sensus incurrerent, et quibus mortalium animi expergescerent, atque excitarentur. Derepente enim, nulla præuia nubium coaceruatione, cum vehementi fragore ortus de caelo sonus domicilium apostolorum repleuit, ac valide concussit: illustrioresque, ac linguarum diuisarum figuram æmulantes flammulæ, illorum siue labiis, siue vertici insidere conspiciabantur. \* Eo ipso temporis momento, quo ignis hic caelestis adfulsit, *omnes repleti sunt Spiritu sancto, coperuntque loqui aliis linguis, prout Spiritus ille dabat eis eloqui.* \*\* Quam admirabile spectaculum, homines illitteratos, barbaros, in adukta ætate, ita illico fuisse instructos, vt diuersissimis linguis res arduas, ac diuinas diserte, ac potenter exponerent. GREGORIVS NAZIANZENSIS, \*\*\* interprete Iac. Billio: *Linguis,* inquit,

\* Actor. II, 2, 3. \*\* I. c. vers. 4. \*\*\* Oratione in sanctam Pentecost. operum eius tom. I. p. 715, edit. Coloniens.



inquit, *externis, ac non vernaculis apostoli loquebantur, singularique miraculo sermo ab his, qui non didicerant, proferebatur.* Audit Romanus Latina; audit Græcus Attica: nec deest Aegyptiis, Arabibus, Parthis, Medis, aut Persis, quod intelligant, et discant, quo ad fidei sinceritatem, beatamque vitam ducantur. Tanta admiratio audientium animos occupabat, vt, teste diuino scriptore, \* attoniti quærent: *Nonne ecce omnes isti, qui loquuntur, Galilei sunt? et quomodo nos audimus eos, sua quisque lingua, in qua nati sumus?*

Nemo iactaret Dioscuriadem, Colchorum urbem, eo quondam nomine claram, quod CCC nationes, dissimilibus linguis, in eam concesserint, et PLINIO \*\* teste, Romanorum negotia per CXXX interpretes ibi fuerint gesta. Cedat gloria Cleopatraz, Aegypti reginæ, in qua regnatrice Prolemæorum familia est extincta, quod variarum scientiarum peritia instructa, Aethiopibus, Troglodytis, Hebræis, Arabibus, Syris, Medis, Parthis, aliisque per semet ipsam, paucis per interpretem, responsa dederit, \*\*\* harum omnium linguarum probe gnara, atque intelligens. Maiorem longe admirationem apostoli merentur, qui puncto temporis, tot linguarum peritiam, non humanis viribus, non ministra arte, sed diuino Spiritus sancti adflatu sunt consecuti, vt cum omnibus, quæ sub cælo erant, nationibus sermones conferre potuerint. Olim \*\*\*\* diuersitas linguarum humanæ pœna erat superbiæ, ad turbandos insani operis structores, interuertebatque peruersa hominum con-

A 3 silia,

\* Act. II, 7, 8. \*\* Histor. natur. tom. I, lib. VI, cap. 5, p. 657, ex edit. Io. Harduini. \*\*\* PLUTARCHI oper. tom. 1, in vita Antonii, p. 927, edit. Weichelian. Eadem refert IO. VAILLANT in histor. Ptolemæorum, Aegypti regum, ad fidem numismatum accommodata, p. 168. \*\*\*\* Genes. XI, 7, seq.

silia, vt vanis ausis exciderent: at eadem nunc, cælesti clementia, et diuina benignitate, in perennantis materiam prosperitatis vergit. Si addiscere prius eas, consueto ceteris more, debuissent, qui disiunctissimis populis, extra ecclesiæ lumen in profundis tenebris versantibus, diuiniora oracula viamque salutis sempiternæ monstrare iussi erant; longe difficilium euangelium, et serius, nec sine magna animarum iactura, fuisset disseminatum. Quin quum scurrili, et insula nonnullorum dicacitate, non tam apostoli, quam diuina dona ludibrio haberentur, opposuit se Petrus illorum vesania: et qui haud ita pridem ad vocem ancillæ, ostiarii vicem sustinentis contremuerat, nihil iam timet ingentem hominum multitudinem, inque media illorum corona de Christo, vnico salutis auctore, ac restitutore grauissime perorat, eo quidem cum successu, vt vno illo die, adiuuante Spiritus sancti gratia, ter mille auditores \* religionis Christianæ sacris fuerint initiati. Ita subito, ac diuinis auspiciis, apostoli, humilis fortunæ homines, piscatores, textores, horumque similes, ex indoctis facti sunt doctissimi, ex imperitis fandi, disertissimi, ex timidis animosi, ac fortes.

Idem ille Spiritus sanctus, qui ignea specie se in hos Christi in vitam reditus testes dispersit, eosdemque insigni linguarum, ac cælestis doctrinæ luce, prodigioso quodam, et inusitato prorsus modo exornauit, non desiit deinceps pro ecclesiæ salute, pro sibi dilecti cœtus incolumitate, et incrementis excubare: vt doctrina sanctior ab apostolis, eorumque successoribus feliciter, celeriterque, vltra audaciam votorum, per omnes orbis partes fuerit propagata; ac tot populi, quibus nondum adfulserat claritas diuinæ veritatis, a peste, et pernicie sempiterna vindicandi, ad agnitionem veri Dei,  
et

\* Actor, II, 41.



et Christi, quamlibet alii citius, tardius alii peruenirent. Si historiam propagatæ religionis nostræ sanctissimæ paullo curatius consideramus, omnia ratione et modi, et hominum, et celeritatis, prodigio similia animaduertimus: et sicut sol radios vndique suos spargit, ita euangelii fulgor per omnia terrarum spatia se diffudit, vt non adduci ad Christum gentes, sed adductæ esse dicerentur. Prima, ac præcipua tantæ rei occasio fuit, quum, post occisum a furentibus Iudæis, lapidibusque obrutum Stephanum, virum sanctissimum, discipuli Christi, per Iudææ, et Samariæ regiones dispersi, verbum salutis exponerent. Philippus in via, Gazam versus tendente, virum in aula Candaces, Aethiopum reginæ, dignationis præcipuæ, salutaribus aquis abluit, et veritatem de Christo docuit: sicque eius ministerio euangelii prædicatio ad Aethiopes est propagata. Petrus vero Lyddam venit, Assaronem, Ioppen, hominesque ad Deum adduxit: inde Cæsaream ad Cornelium, cohortis Italicæ centurionem, euocatus. Barnabas, et Paulus, a sancto Spiritu emissi, Seleuciam obierunt: postea in Cyrum nauigant, plurimasque per Asiam ecclesias constituunt. Seorsim Paulus, quem caelesti lumine circumfusum, Christus ipse de cælo adfatus, summum ecclesiæ doctorem, præter omnium expectationem, effecerat, lucem euangelii variis in locis accendit: Romam tandem delatus, sanctiorem doctrinam omnibus libere explanauit. Tam felix autem interpretationis euangelii, ac prosper fuit successus, vt, antequam sancta vrbs Hierosolyma per Titum Vespasianum solo æquaretur, Paulo reste, \* qui in dira illa, ac funesta Christianorum clade, a Nerone illata, trucidatus fuit, *sermo veritatis, et euangelii peruenit in totum mundum, et fructum protulerit.*

IVSTI-

\* Coloss. I, 6, 23.

**IUSTINVS**, sub medium sæculi secundi, cruenta morte, pro fide Christiana, e terris, et mortalium consuetudine, ad meliores sedes translatus, ita scribit: \* *Ne unum quidem est genus mortalium, siue barbarorum, siue Græcorum, seu etiam aliorum, quocumque adpellentur nomine, vel Hamaxobiorum, vel Nomadum domo carentium, vel in tentoriis viuentium (Scenitarum) et pecoribus vitam tolerantium; inter quos per nomen crucifixi Iesu supplicationes, et gratiarum actiones patri et fabricatori rerum omnium non fiant.*

Quam horrendis suppliciis, primis ecclesiæ sæculis, sæuitum fuerit in Christianos, ex historiarum monumentis adparet: tam duriter illi sunt habiti, vt apud eos etiam miseratio oriretur, qui fontes cetera, et extrema meritos existimabant. **ANT. GALLONIVS** \*\*, erudita commentatione, instrumenta, et modos, quibus martyres, ingeniosa crudelitate, torquebantur, luculenter descripsit, tabulisque æneis accurate expressit. De acerbissima Christianorum afflictione, Diocletiano, et Maximiniano imperantibus, **SULPICIVS SEVERVS** \*\*\* ait: *illa tempestate omnis fere sacro martyrum cruore orbis infectus est. Quippe certatim gloriosa in certamina ruebatur, multoque audius tum martyria gloriosis mortibus querebantur, quam nunc episcopatus prauis ambitionibus adpetuntur. Verum quidquid tyranni nefarie suscipiebant ad euertendam religionem sanctam; sanguis Christianorum, largius effusus, semen fuit, quod fecundis fructibus progerminauit latius: et plures semper populi, insequentibus sæculis, abdicato idolorum cultu, expulsa, abolitaque superstitione, ter vnum, ter sanctum Numen adorare didicerunt.*

Iudæi

\* dialogo cum Tryphone Iudæo, operum eius p. 345, edit. Colon.

\*\* De martyrum cruciatibus. \*\*\* Sac. hist. l. 2, cap. 47, p. 407, edit. Hackian.

Iudæi, quum clarissima diuina, ac salutaris doctrina luce  
 frui potuissent, caligarunt ad præsentis, et inter ipsos versan-  
 tis Messia splendorem: reiiiciebant, quæ ab ipso fiebant  
 miracula; semper noua, et maiora, præsertim ad suum genium,  
 et arbitrium conformata requirentes. Eadem sunt peruicacia  
 illorum posterius, odio eodem inueterato erga Christum, et qui  
 ipsi nomina dederunt. Gentiles contra, sanctis eius præceptis  
 vltro paruerunt, inque ipsius concesserunt obsequium: arcano,  
 et mirabili Dei consilio, cuius gratiam fatius est nos memori-  
 mente recolere, quam causam anxie perscrutari. Nulla  
 propemodum res est inter omnes, quas præsignificari homini-  
 bus voluit Deus in veteri instrumento, in qua prædicenda ma-  
 iori consensione conspirant sacri vates, quam gentium vo-  
 catio ad notitiam veritatis cælestis, Iudæorumque obstinatio,  
 et pertinacia in eadem reiiicienda. Quod vltimis duobus  
 sæculis, diuino munere, nauigationum, commerciorumque  
 beneficio, noui orbis, seu America incolis euangelium de Chri-  
 sto sit adnuntiatum, religionisque iubar ita emicuerit, vt  
 splendorem suum ad hæc etiam terras emiserit, aliunde satis  
 constat: lux eius porro quoque ad alios siue nondum, siue  
 necdum plene illustratos populos perueniet, antequam finem  
 Deus imponet mortalium rebus. \* Nec laudari satis possunt  
 Christiani reges, principesque, qui huc curam suam, cogita-  
 tionemque conuertunt: dignum hoc illorum pietate est,  
 dignum fastigio. In huius gratiæ partem Anglia venit, insula-  
 rum regina, in qua auspiciis Guilielmi III, regis gloriosissimi,  
 libertatis vindicis, societas est instituta, et floret hodie quoque,  
 de propaganda fide, ac Christi cognitione, in partibus transma-  
 rinis \*\*. venit Dania, cuius rex hodiernus Christianæ reli-  
 gionis,

GE. CALIXTVS Id. ara. theol. pag. 74. \*\* Relation de la propa-  
 gation de l'euangile dans les pays etrangers.



gionis, vnice salutaris, præcones ablegauit, qui Tranquebaræ, et in vniuerso littore Coromandelino euangelium Indis adnuntiant. idem in vrbe regni sui principe, instituit *collegium pro cursu euangelii promouendo*; nouamque adornauit missionem in extremos Borealium regionum suarum fines, ad Finmarkios, atque Lappos, ethnica caligine adhuc circumfusos, lumine veritatis cælestis collustrandos: atque vt, quæ iuuenis hac in re est exorsus, ea multum, feliciterque aucta fenex videat, et Christiana doctrina vbique terrarum personet, precamur.

Deuotissima agnoscamus mente, araque nostræ victimis laudum, et gratiarum actionis fument, quod maiores nostri, Saxones, difficulter licet, et inuiti, diuinæ lucis, doctrinaeque gratia, tandem tamen fuerint illustrati. Suaue est, quod in grauisima ad Iudæos oratione Petrus \* spondet: *Vobis, inquit, facta est promissio, et liberis vestris, et omnibus longe postfuturis, quoscuque aduocauerit dominus Deus noster.* Nos longinqui illi sumus, qui procul æuo apostolorum, per Spiritus sancti abundantissimam clementiam, ad salutarem de Christo doctrinam, vltimis temporibus, sumus adducti, erepti e potestate tenebrarum, et translati in regnum filii Dei. \*\* In nos quoque redundant fructus sanctissimarum Christi precum, quando ait: \*\*\* *Non pro bis apostolis solum oro, sed et pro omnibus, qui credituri sunt per sermonem eorum in me.* Nihil dulcius esse potest, nulla res magis plena solatii, quam quod optimus Seruator noster pro nobis etiam orauit, qui doctrinæ ipsius, oraculisque diuinis, per apostolos in litteras relatis, fidem habemus. Gratias eapropter Deo immortali agamus haud vulgares, quia non vulgare, aut vile est beneficium, quod accepimus; et, quæ pietatis lege debentur, sacrificia demisse offeramus. Faxit eadem bonitas diuina, vt ecclesiæ Christianæ

\* Act. II, 39. \*\* Coloss. I, 13. \*\*\* Ioan. XVII, 20.

Christianæ inserantur, qui ab eadem alieni adhuc sunt: vt  
Iudæi, errores suos detestati, Christum communem nobis-  
cum Seruatorem adorent: vt Turci non solum armorum  
victoriis porro subigantur, et pace donati a sanguinolentis  
bellis abstineant deinceps; sed inprimis etiam fulgore diuini  
Numinis perstringantur, quum propius a vero de Christo  
sensu absint, quam Iudæi: vtque euangelii mysteria Turcice,  
noua dialecto, per tot dissitas regiones personent. Arduum  
est, tanta sperare: sed si Deo visum fuerit, qui pro immen-  
sa benignitate sua exsuperantius facere potest, quam nos in-  
telligimus, nihil tam difficile erit, quod tantam salutem impe-  
dire possit. Interea quæ nobis, maioribusque nostris, ex den-  
sissimis ignorantia tenebris ad lucem euangelii protractis, di-  
uinitus contigit, felicitatem reuerenter habeamus: suppliciter  
adorantes Spiritum sanctum, vt nos in vera fide, vitaque ac  
morum innocentia, fulciat, ac confirmet: scissiones ani-  
morum, doctrinarumque auertat; academiamque hanc, pu-  
rioris, et a corruptelis purgata religionis custodem seruet:  
vt pergat beneficis nobis esse, et perennitatis cumulo suam  
benignitatem consummet. Hæ sint preces nostræ, hæc  
vota sincera: festumque, quod, cælo propitio, rediit, sancta  
a nobis meditatione peragatur, quo talia contigerunt, quo-  
rum et nos fructus hodie percipimus vberimos.

Quid vos, Ciues academici, sacro hoc tempore, sic-  
ut alias temper, deceat, nemo vestrum nescit. Pentecosten  
Christiani suam hodie celebrant, qua Spiritus sancti diui-  
nitas, et æterna a Patre, ac Filio processio; quæque in na-  
scentem, post gloriosum Christi in celos adscensum, ec-  
clesiam contulit, et in eandem longe, lateque nunc pro-  
pagatam, ac dilatatam, conferre non desinit beneficia, a  
viris religiosis, ac disertis, ample, e sacra pèrgula,  
copio-

copioseque vobis exponentur. His operam nauate diligenter, precati sempiternum Numen deuote, ac reuenter, vt Spiritum suum vobis donet; promisit enim rogantibus: nullumque aut pietatis, aut laudis sacrificium Deo acceptum est, nisi ab hoc diuini Spiritus igne virtutem trahat. Inhabitabit autem ille puras tantum, et castas mentes: temulentia, secunda vitiorum matri, dedita, aliorumque peccatorum sordibus inquinata pectora auersatur. Caueatis itaque, ne dulcem hunc animae hospitem expellatis, aut vosmet ipsi a Deo alienetis, quo nihil miserius cogitari potest: etenim *si quis Spiritum Christi non habet, hic non est eius.* \* Fas mihi sit huc accommodare illam e gentili scriptore cohortationem \*\*: *His maxime diebus animo imperandum, vt tunc voluptatibus solus abstineat, cum in illas omnis turba procumbit. Certissimum argumentum firmitatis suae capit, si ad blanda, et in luxuriam trahentia nec it, nec abducitur. Hoc multo fortius est, ebrio et vomitante populo, siccum et sobrium esse. Licet enim sine luxuria festum agere diem.* Haec vt tam in publicis ecclesiae conuentibus, quam in museis etiam vestris, quae non minus diuini Spiritus officinas esse oportet, sedulo perpendatis, etiam atque etiam hortamur, et, si fas est, vnumquemque, suae ipsius salutis causa, obsecramus. Gratos etiam vos exhibebitis iis, qui veritatem Christianae de Spiritu sancto fidei e sacro vobis suggestu his diebus vberius explicabunt. hoc recepta exigit consuetudo, hoc postulat pietas: et sicut humanitate vestra dignum est, ita sponte id ipsum facietis. Bene agite, et valete. P. P. in academia Iulia, ipso Pentecostes festo, die v Iunii, anno salutis, humano generi redditae, CIOIOCC XVIII.

\* Roman. VIII, 9. \*\* SENECA, oper. tom. II, epist. 16, pag. 67, edit. Elseuir.

Jé 2511

ULB Halle 3  
002 379 813



7200

VD 7 VD 18









PROGRAMMA  
**FESTO PENTECOSTES**

IN ACADEMIA IVLIA

ANNO MDCCCXVIII

P. P.

HELMSTADII  
LITTERIS HAMMIANIS.

20  
8.  
*Böhme*  
*en genera*  
*ind sol p. doc*  
*Böhmer's son*  
*frift, zu dem*  
*pro uno, for*  
*er wie pag*  
*lin 2. ac v*  
*2000 in v*  
*pro 200 lin.*  
*celesti mil*  
*Alain S. int*  
*coelesti*